

dicemus⁵. Quid faceret ergo haec devota vidua tam subito maritali consortio et solatio orbata? Angustiae illi sunt undique, dolor et planctus de morte comparis sui nondum abcessit et aerumnosum pariendi tempus iam accedit. Adveniente igitur debito tempore peperit filium, a quo accepit magnae consolationis exordium. Ex industria etiam et iussione matris suae infantulus in Christo renatus vocatus est nomine patris sui Conradus, ut in participio paterni nominis capacior fieret ingenitae virtutis. Crevit itaque puer, crevit similiter et in eo virtus et florem iuventutis honestate morum sic venustare studuit, ut in octavo decimo aetatis suae anno ad secularem militiam provehi meruerit. Eodem tamen anno vir spiritu dei plenus perspexit, quam fugitivus sit honor mundi et quam fallax gloria rerum, militiam seculi postposuit et omnia sua deo offerens se ipsum ad militiam Christi transtulit. Sicque pompa mundiali repudiata non solum vanam militiam fructuosa commutavit, sed etiam priorem militiam secunda nobilitavit. Mater vero beati viri decrevit, more turturis sine compare deinceps vivere et in viduitatis habitu se divino servitio mancipare. Et tractatum pia mente adimplevit opere et famulatu patris orphanorum et viduarum iugiter adhaesit, donec soluto mortis debito feliciter requiesceret in Christo.

Cap. 2 [De ingressu in ordinem et tyrocinio eius]

Ad coenam nuptiarum agni vocatus miles Christi ad sacrum dominici gregis ovile, hoc est in clastrum Hegene ordinis Cisterciensis, quantocius properavit. Ubi ab iis, qui virgam pastoralis curae gestabant, humiliter petivit, ut ipsum ad sacrum collegium reciperent. Et quamvis nullam literarum haberet notitiam, tamen id instantius requisivit, ut ipsum societati monachorum et identitati habitus eorum adunarent. Pastores autem monasterii tam providi quam praelati videntes, quod a domino egressus esset sermo, et petentis viri devotum animum purumque affectum secundum formam petitionis suae singula admiserunt. Nec mora novus tyrunculus Christi novum hominem induit novoque habitu vestitur et more angeli collaetantibus angelis novitiorum cellam quasi caelestem aulam ingreditur. Senior autem deputatus ei pro magistro pollebat sanctitatis merito et religionis exemplo. Et quicquid ille virtutis et disciplinae longo usu didicerat, hoc totum auribus discipuli infundebat. Hic itaque omni sollicitudine et solertia animum discipuli imbuat et cordi eius ordinis instituta et literarum rudimenta impressit. Nec minus attentus discipulus ad praecepta monitoris sui aures cordis

5) Vgl. c. 14 S. 40f.